



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118316**

§. 152. Nicolai de Clamangiis obitus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

Sæcul. XV.  
A. C. 1440

vel arcium moenia morarentur, atque festiva haberent. Ne vero milites raptore vere, ac populares vexis premere cogentur, pro numerandis eorum stipendiis quædam imposuit tributa, ac quamcumque vastationem inferre prohibuit sancta ad terrorem aliorum corporali poena transgressoribus infligenda. Carolus VII. teste Joanne Charterio, primus Regum Galliæ fuit, qui oppidanis & rusticis tributa indixit in subsidium exercituum pendenda, ne milites ad deprædandas regiones excurrere cogentur.

*Hist. Caroli VII. p. 109.*

## §. CLII.

*Nicolai de Clemangiis obitus.*

*Dupin. Biblioth. Script. to. 12. in 4to. p. 78. & seq.*

Gallia hoc anno amisit Scriptorem longe celeberrimum, scilicet Nicolaum Clemangium seu de Clamengiis, qui sic a quodam Cabillonensis Diocesis oppido dicebatur. Hujus Viri mentionem habuimus in Constantiensis Concilii historia. Vix duodecimum ætatis annum expleverat, cum Lutetias Parisiorum ad Navarræ Collegium mitteretur, animum humanioribus literis exculturus, quarum præcepta ex ore Joannis Gersonii, Petri de Nogent, & Gerardi Macheti hauserat, ac Eloquentiæ, & Poeticæ artis elegantiam, atque perfectionem rara ingenii sui acie exhaustisse videbatur. Hac merito-  
rum

rum amplitudine sibi ad Rectoris dignita-  
 tem viam stravit, quam & Anno Domini <sup>Sæcul. XV.</sup>  
 millesimo trecentesimo nonagesimo tertio <sup>A. C. 1440.</sup>  
 consecutus fuit, paucis ex post annis in  
 Canonicum electus, dein Ecclesiæ Cathedra-  
 lis Lingonensis Thesaurarius renun-  
 ciatus est. Cum vero in suspicionem tra-  
 heretur, ex suo calamo illam profluxisse  
 epistolam, quam Benedictus XIII. Anti-  
 papa mense Majo Anno salutis millesimo  
 quadringentesimo septimo contra Regem,  
 & Galliae Regnum vulgaverat, in Ascete-  
 rio Chartusianorum Valefundi seu Fonta-  
 næ ad Sylvam profugus delitescere com-  
 pulsus est. Sacri hujus otii opportunitate  
 usus potissimam partem suarum lucubra-  
 tionum, & Epistolarum concinnavit, nec  
 ultra ad Aulam Benedicti Papæ redire  
 voluit, summis licet precibus exoratus  
 esset. Recuperata tamen Regis gratia  
 ad Lingones reversus diu ibidem commo-  
 ratus est, postea vero Bajocensis Eccle-  
 siæ Chori Magister nominatus, demum  
 exactæ jam ætatis senex ad Navarræ  
 Domum se recepit, ubi etiam Anno Chri-  
 sti millesimo quadringentesimo quadrage-  
 simo vitæ finem imposuit.

## §. CLIII.

*Clemangii opera.*

Cuncta eximii hujus Scriptoris opera *Dipin. ibid.*  
 pri-